



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X

Augustinus, Aurelius

Coloniae, 1646

Cap. XXVII. Se Deum sero amasse, quia ipsum non intus, sed foris in
creaturis, longe ab ipso quæsivit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10120

CAP. XXVII.

Se Deum sero amasse, quia ipsum non intus, sed foris in creaturis, longe ab ipso quasiuit.

I. ^a **S**ero te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, sero te amavi. Et ecce ^b intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa, quæ fecisti, deformis irrueram. ^c Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longe à te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam. Coruscasti, splendisti, & fugasti cæcitatem meam. Fragraisti, & duxi spiritum, & anhelasti tibi. Gustavi; & esurio, & sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

NOTÆ.

- a *Sero te amavi*) post 12 annos, ex quo primum amorem Sapientiæ, ex lectione Hortensii concepit.
- b *Intus eras*) in animo meo, loquens mihi per lumen naturale, & principia Synteresis, item per sanctas inspirationes; (*& ego foris*) occupatus amore & delectatione sensibilibus creaturarum.
- c *Mecum eras*) per præsentiam & bonas cogitationes (*tecum non eram*) per caritatem & gratiam.
- d *Vocasti me*) per occultos instinctus, per monita matris, sermones Ambrosii, consilia Simpliciani, exempla Victorini, Antonii, aliorumque servorum tuorum; (*Clamasti*) illustrationibus internis, voce externa: Tolle lege &c. (*& rupisti surditatem meam*) audiivi & obediivi. V. ipsius conversionem supra.

V S V S.

V S V S.

Salutarem recordationem beneficii vocationis & conversionis S.D. proponit, quam utile erit sæpius iterare, iis præsertim, quos Deus ex gravibus peccatis eduxit.

CAP. XXVIII.

Quod Deo nondum totus inhaereat, inde se adhuc jactari tentationibus vitæ humanæ, inter gaudia & mœrores, inter metum adversitatis & desiderium prosperitatis.

1. **C**um inhæsero tibi ex omni me, omnino nusquam erit mihi dolor & labor: & viva erit vita mea, tota plena te. Nunc autem quoniam, a quem tu implet, sublevas eum: quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum. *b* Contendunt lætitiæ meæ fletu cum lætandis mœroribus: & ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi Domine, miserere mei. Contendunt mœrores mei mali cum gaudiis bonis: & ex qua parte stet victoria, nescio. Hei mihi Domine, miserere mei. Hei mihi: Ecce vulnera mea non abscondo. Medicus es, æger sum. Misericors es, miser sum. Nunquid non *tentatio* Iob. 7. 14 *est vita humana super terram?*

2. **Q**uis velit molestias & difficultates? *c* Tolerare jubes eas, non amari. Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse, quod toleret. Prospera in adversis desidero, adversa in prosperis timo. **Q**uis inter hæc medius locus, ubi non sit